DE

ECCLESIAE AQUILEJENSIS ORIGINE

DISSERTATIO,

QUAM EXCIPIUNT

THESES

EX UNIVERSA THEOLOGIA DEPROMPTAE,

QUAS AD LAUREAM IN SS. THEOLOGIA OBTINENDAM

IN PERVETUSTA AC CELEBERRIMA C. R. PATAVINA SCIENTIARUM UNIVERSITATE PROPUGNANDAS ASSUMIT

NOB. FRANCISCUS NARDI

PRESBYTER VENETUS,

ET IN C. R. AD DIVI PROCULI GYMNASIO

RELIGIONIS MAGISTER.

V IDUS MAJI

VENETIIS

TYPIS HYER. TASSO

M. DCCC. XXXVII.

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO DOMINO

IACOBO MONICO

S. R. ECCL. TITVLI SS. NEREI ET ACHILLEI

CARDINALI PRESBYTERO,

VENETIARVM PATRIARCHAE, DALMATIAE PRIMATI,

DIOECESIVM VENETARVM METROPOLITAE,

A SVPREMIS DIGNITATIBVS

REGNI LONGOBARDI VENETI CAPPELLANO,

S. C. R. A. MAJEST. INTIMO STATVS CONSILIARIO,

ETC. ETC. ETC.

Eminentissime Princeps!

Memini profecto aequius quam Tibi hunc diem, quem veluti studiorum meorum coronam et metam aliquam considero, et hanc meam primam lucubrationem dicare poteram. Tu enim, Eminentissime Praesul, tum Cenetae, cum illam Dioecesim communi omnium plausu regeres, tum Venetiis, ubi cunctorum amore et existimatione frueris, et e summo honorum fastigio ad quod Te pietas, virtus et sapientia evexerunt, me, quamvis indignum, benevolentia prosequutus, multis praeclarisque benefa-

ctis cumulasti. Equidem non ignoro hocce opusculum Tuo Nomini haud par esse, sed benignitatem Tuam probe noscens spero Te illud comiter accepturum. Hac spe fretus illud Tibi offero velut devinctissimi mei animi pignus, sacramque purpuram humiliter osculor.

PATAVIO V IDUS MAJI.

Eminentiae Tuae Reverendissimae

ADDICT.mus HUM.mus DEV.mus SERVUS ET FILIUS
FRANCISCUS NARDI.

DE ECCLESIAE AQUILEJENSIS ORIGINE.

Ecclesiarum Occidentis fere omnium originem tenebris circumfusam esse neminem latet. Verumtamen, cum plurimum intersit eamdem probe noscere, profecto de religione et litteris optime merebantur, qui in illa perquirenda operam navarunt. Et quidem eo magis quo graviora obstacula ad veritatem dignoscendam superare oportebat. Nam de prisca illa aetate nulla nobis certa notitia, nulla aut dubia documenta, fere nullus historicus. Traditioni vulgari inniti haud semper secure possumus, quia tum falsa patriae charitas, tum saeculorum quae sequebantur ignorantia effecerunt, ut fabulae et commenta hinc inde historiae locum occuparent. Quae cum ita sint non est cur miremur, quod in adeo difficili labore perficiendo plurimi quandoque claudicarint, vel nimium creduli omnia sine discrimine colligentes, vel justo rigidiores multa, quae firmis innitebantur argumentis respuentes.

Quod etiam de celeberrima Aquilejensi Ecclesia Venetae nostrae matre evenisse credimus. Quamvis enim Ecclesia illa clarissimos nacta sit historicos, inter quos primum certe locum tenet Jo. Franciscus de Rubeis (1), vir summa commendatione dignus, attamen ejus origo haud ita in comperto est ut majori luce non indigeat. Non ego profecto ille sum, qui eamdem afferre valeam, at si varia, scriptorum sententias comparans, et veterum monumentorum examen renovans aliquid praestabo, quod plane inutile non sit, nonnihil me fecisse arbitrabor.

Aquilejam, seu veluti veteres complures scripserunt

(1) Monumenta ecclesiae aquilejensis, commentario historico chronologico-critico illustrata etc. auct. Fr. Jo. Bern. Maria de Rubeis, Argentinae 1740.

Madrisius (1) totius Venetiae Aquilejam μητρόπολιν fuisse affirmat.

Neque haec abs re praemissa volui, nam cum Apostoli et Apostolici viri, fidei christianae praecones, majores primum urbes adire consueverint, ut ex illis deinceps quasi e centro religionis lumen in subjectas provincias diffunderetur, profecto non est cur credamus neminem eorum Aquilejam venisse. Si principes Apostolorum, uti e s. Litterarum et Patrum testimonio constat, Italos Christi religionem edocuerunt, anne censendum est eos de Romana Ecclesia tantummodo sollicitos reliquas Italiae urbes, et celeberrimam Aquilejam neglexisse? Nemo igitur inter fidei magistros Petrum, Paulum, Lucam, Marcum, Clementem, Titum, Hermetem, Domnium, Andronicum, Apollinarem, Hermagoram, qui tamen magnum Illyricum peragrarunt, Dalmatiae et Liburniae littora inviserunt (2), nemo, inquam, celebrem urbem, ubi tot hominum millia veritatis ignara degebant adivit?

Quod si veterum Ecclesiae scriptorum dicta perpendamus inveniemus eos de apostolica Aquilejensis sedis origine disertis verbis non loqui, attamen illam indirecte indicare. Habemus enim notissimum S. Irenaei testimonium (3): » Etsi in mundo loquelae dissimiles sunt, sed ta-» men virtus traditionis una, et eadem est. Et neque hae » quae in *Germania* fundatae sunt Ecclesiae aliter credunt, » aut aliter tradunt, neque hae quae in Iberis sunt . . . » Quod si, exeunte saeculo secundo, Irenaeus non tantum Italiam, sed et Germaniam Christum coluisse affirmat, mediam inter utramque regionem Aquilejam nullos vere fidei cultores habuisse quis credat? Adhuc clarius Tertullianus (4):

(1) Apologia per l' antico Stato e condizione della famosa *Aquileja* di Niccolò Madrisio.
(2) Farlati Illyricum sacrum T. I. pag. 241 - 271.
(3) Advers. Haer. libr. I. c. 3.
(4) Lib. adv. jud. n. 7.

» et ceterae gentes ut jam Getulorum varietates, et Mau-
» rorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, et Ga-
» liarum diversae nationes et Britannorum inaccessa Ro-
» manis loca, Christo vero subdita et *Dacorum* et *Germa-*
» *norum*... quae enumerare non possumus. In quibus omni-
» bus locis Christi nomen qui jam venit, regnat; utpote
» ante quem omnium civitatum portae sunt apertae et cui
» nullae sunt clausae. » Lactantius (1): » Dispersi sunt per
» omnem terram (apostoli) ad Evangelium praedicandum...
» et per annos XXV usque ad principium Neroniani impe-
» rii per omnes provincias, et civitates Ecclesiae fundamen-
» ta miserunt. »

At ut rei propius accedamus, Ecclesiam Aquilejensem ab Apostolis originem ducere disertis verbis testantur Paulus diaconus (2), Martyrologia Usuardi, Adonis Viennensis, et Notkeri, Venerab.. Beda, Caroli Magni, Ludovici Pii, et Lotarii imperatorum decreta, acta s. Domnii Salonensis in Dalmatia Episcopi, aliud perantiquum (saec. IX) Martyrologium, Chronicum Andr. Danduli, Catalogi et Chronica Patriarcharum Aquilejensium a el. de Rubeis edita, Joann. XIX (1003-8) epistola Poponi patriarchae missa, et alia documenta de quibus cum infra fusius agendum sit, nunc brevitatis ergo silemus. Non ignoramus uni alterive ex citatis testibus aliquid objici posse, at eorum consensus tantam habet vim, ut omne prudens dubium penitus excludat. Accedit ipsa Episcoporun Aquilejensium dignitas, et potestas Metropolitana, et Patriarchalis, quae iis praesertim Ecclesiis tribuebantur, quas Apostoli vel apostolici viri instituerant. Quapropter recentiores fere omnes Baronius (3), Ughellus (4), et rerum Aquilejensium scriptores quotquot

(1) Libr. de Mort. Persecutorum c. 2.
(2) De Episcopis Metentibus.
(3) Annales ecclesiastici ad annum, et Notae ad martyr. Rom. julii.
(4) Italia sacra, Ecclesia Aquilejensis.

extiterunt apostolico aevo Ecclesiam illam fundatam fuisse affirmant.

Hucusque nulla nobis difficultas occurrit, at cum singillatim quinam fuerint primi Ecclesiae Aquilejensis institutores inquirimus, haud facile nobis est certam sententiam ferre.

Nam ut ab Apostolorum principe exordiar Petrum Aquilejam petiisse nonnulli asseruerunt (1) freti testimonio Hesichii, V saeculo ineunte, Salonitani (in Dalmatia) Episcopi. Hesichius haec habet: » relegendum utriusque (Pe- » tri et Clementis) iter sive in Europa, sive in Africae pro- » vinciis confectum, nam et Ægyptum adiit, et Lybiam lu- » stravit, et ad Occasum usque Hispanias, Gallias, Germa- » nias, Italiam, insulas multas, Graeciam, et *Illyricum uni- » versum*, itemque *Venetias, et Istriam*, et Dalmatiam, et » Pannonias, et Macedoniam, et Epirum, et Maesiam, Thra- » ciam, Scytiam, Getiamque cis et ultra Danubium obam- » bulavit. » At vere nimia et plane incredibilia Hesichius narrat, cumque de hac immensa Petri peregrinatione veteres sileant, cum vix concipi possit quomodo unus vir tot regiones inviserit, tot gentes fide imbuendas susceperit, cum teste Luca, in actibus apostolorum, Hieronymo, Eusebio, et Leone pont. max. Petrus diu Hierosolymis, Antiochiae et Romae deguerit, Hesichium veritatis limites transgressum fuisse credimus. Adde quod de hisce actis genuina sint nec ne nonnulli (jure an injuria!) dubitarunt. -- Doctissimus Farlati (2) de Illyricae Ecclesiae gloria fors nimis sollicitus Petrum anno post Christum 42 ab Oriente in Italiam migrantem per Thraciam, Macedoniam, Maesiam, Pannoniam inferiorem et Dalmatiam iter fecisse credit, et in Orientem anno 49 redeuntem camdem viam tenuisse, Syrmii Epaeneto relicto novae Ecclesiae episcopo, cui deinde,

(1) Farlati Illyr. sacrum. pag. 256.
(2) Ibidem.

anno 56, Chartaginiensi Episcopo creato, Andronicus Pauli comes sufficiebatur. Attamen Petrum ante Concilium Hierosolymis habitum (circa annum a Christo nato 50) Italiam petiisse nec certum nec probabile est ; insuper non tantum qui gesta B. Petri narrarunt, sed et ipsi Aquilejenses scriptores et illius Ecclesiae documenta silent de principis Apostolorum inter Venetos adventu etiam tum, cum de Marco Evangelista ab eodem Aquilejam misso loquuntur.

Nec multo fortiora eorum fulciunt sententiam, qui asserunt Paulum Apostolum Aquilejam venisse. Jam quod Paulus Illyricum peragraverit nemo facile inficiabitur. Extant enim Hieronymi et Gregorii Nysseni testimonia : » Versa» batur, ait Hieronymus, cum Thoma in India, cum Petro » Romae, cum Paulo in Illyrico » (nempe gratia Dei). Et Gregorius : » ita magnum illud Ecclesiae instrumentum » Paulus, ira minisque a diabolo armatus, adversus ipsum » armatorem tela vertit . . . hinc Ægyptii, Syri, Parthi, Me» sopotamii, Itali, Galli, et *Illyrii* Christum agnoscunt. » Hoc idem affirmat Asterius IV saeculi scriptor : » Paulus » totum Illyricum percurrens, ac ubique spargens scintillas » fidei, quas auspex S. Spiritus excitabat vivasque semper » servabat. » Quinimmo credimus jam antequam Paulus Illyrios inviserit eos Christi fide imbutos fuisse. In secunda enim ad Timothaeum Epistola, quae itineri anterior est, scribit: » a se Titum in Dalmatiam missum fuisse », et hoc, ut addit Eusebius, » ut illam provinciam regeret. » Quapropter compertum est Paulum Illyricam regionem peragrasse, at non exinde illum Aquilejam petiisse inferri potest, illam enim extra illius vastissimae provinciae fines fuisse constat, et quidem occidentem versus, Apostolus vero, orientis Illyrios in fide instituit.

Titus Pauli comes et amicus fidei in Dalmatia auctor fuit, uti e superiori Epistolae testimonio liquet, et Hieronymus, ac Theodoretus eadem Pauli verba explanantes affirmant. Cum autem ad aures Titi pervenisset Paulum Romae in

carcerem conjectum fuisse, Dalmatis valedixit, et urbem magistrum consolaturus adivit. Paulus, quamvis illum summopere diligeret, ejusque societate recrearetur, attamen de aliorum bono, magisquam de proprio sollicitus, Titum denuo in Dalmatiam misit, qui Ecclesiam illam usque ad Hermetis, viri Apostolici, adventum sapientissime rexit. Postea, Liburniae littoribus iterum relictis, se Paulo comitem adjunxit.

Eamdem Provinciam fide imbuendam Lucam Evangelii scriptorem suscepisse, Epiphanius narrat, cujus attamen testimonium de rebus historicis non omni exceptione majus esse novimus: » Huic S. Lucae praedicandi Evangelii » munus creditum est, idque primum in Dalmatia, Italia, et » Macedonia praestitit. » Etiam Clemens, quem Apostolicae litterae commendant fidus Petri comes et adjutor, Thraciam Macedoniam, magnum Illyricum, Maesiam, Pannoniam, Dalmatiam Evangelium praedicans peragravit. Pontifex creatus Apostolicum munus exercere non destitit. Roma discessus, orientalem Illyrii partem adiit, et mirum est quae et quanta ibidem gessit. Sed et ceteros illius regionis incolas haud neglexit; quinimmo Dalmatiam quoque invisit teste Hesichio, qui viri apostolici gesta, anno a Xto nato 400 circiter, descripsit. Quodsi antistiti Hesichio fidendum est, dum haec agebantur, Salonis jam extabat aliqua, ut ita dicam, Christiana colonia, quam instituerat et feliciter regebat Domnus vel Domnius, quem Petrus Roma illuc miserat. » Domnium » similiter, ait, Hesichius Salonas ire jussit urbem Dalma- » tiae primariam, et totius provinciae caput. Profectus ita- » que cum Andronico, antiquo Christi discipulo, quem idem » Apostolus Sirmio in Pannonia praefecerat, venit Dalma- » tiam. Deinde urbem (Salonam) ingressus coepit Christi » Evangelium publice praedicare. Confluebant ad illum tur- » bae populorum etiam e proximis Dalmatiae oppidis et » locis, fama miraculorum, quibus Deus doctrinam sui prae- » conis adstruebat, permoti, et .... brevi tempore multi

» Christo manus dederunt, quos Domnius baptizavit ... sed » et ad alia Dalmatiae loca presbyteros a se ordinatos misit, » ut Christi fidem annuntiarent, et fidelibus divinam liturgiam » celebrarent. » Anno a Christo nato 107 Trajano imperante, Domnus supremum diem obiit, fidem proprio sanguine firmans.

Quae cum ita sint, jure ac merito credimus jam primo saeculo Aquilejensibus nomen Christi innotuisse. Nam si et finitima Illyrii provincia, et Dalmatia religionem susceperant, praeclarissimam illam urbem Christum ignorasse penitus incredibile est. Accedit, quod fere omnes illi fidei praecones, de quibus verba fecimus, a Dalmatia in Italiam, et ab Italia in Dalmatiam saepius iter fecerunt; jam media inter utramque regionem erat Aquileja, quo romanae viae uti e tabulis Peutingerianis, aliisque veteribus documentis colligere licet in unum concurrebant.

Sed, jam de illo inter apostolicos viros loquamur, quem et traditio, et plurimorum sententia, et testimonium qua Ecclesiae Aquilejensis institutorem et Patrem salutant, de Marco, inquam, fido Petri in sacro munere obeundo ministro, adjutore et comite, ejusdemque virtutum imitatore. Illum non Aquilejenses tantum, sed et Veneti omni aevo summa religione coluerunt, et adhuc colunt, illum sibi patronum elegerat Respublica nostra, sub illius nomine et signo tot sibi victorias comparavit.

Quod Marcus una cum Petro Romam venerit, ibique commoratus fuerit, liquet ex prima principis Apostolorum Epistola, in qua Christianis Orientis etiam Marci nomine salutem dicit: » Salutat vos Ecclesia, quae est in Babylone » collecta, et Marcus filius meus. » I. Petr. C. V, 13. Petrum per Babylonem Romam indicare compertum est. Hoc enim nomine urbem sacri auctores, et praesertim Johannes in Apocalypsi designant, quod Babylonis magnitudinem et potentiam, sed et vitia odiumque in veritatem et populum Dei imitaretur. Sane de nulla alia Babylone cogitare licet,

siquidem tunc temporis Chaldaicae urbis vix rudera supererant, alteram vero Egypti multo serius evangelium accepisse novimus. Accedit omnium etiam antiquissimorum Patrum testimonium. Quapropter de hac re, utpote certa, nec verbum addam.

Hucusque historia duce secure gradiebamur, at quod nobis superest iter haud ita planum et certum est. Extant quidem documenta nonnulla, et aliquot testes, sed neque illa sunt omni fide dignissima, neque hi omni exceptione majores. Venit Marcus Aquilejam nec ne? Affirmant Aquilejenses, negant summi viri de Historia et Critice optime meriti, uti Tillemontius, Pappebrochius, Montfauconius aliique. Asserunt illi Marcum Roma Aquilejam a Petro missum doctrinam Christi et fidei lumen disseminasse, et celeberrimae Ecclesiae fundamenta jecisse. Isti reponunt, Discipulum Roma discedentem Egyptum petiisse, ibique post diuturnos exantlatos labores martyrium subiisse. Valida et satis firma sunt quae Aquilejenses ad propriam tuendam sententiam in medium proferunt, nec omnino respuenda ab eorum adversariis allata. Veritatem omni studio quaerentes argumenta, quae pro utraque parte stant perpendemus, quin tamen litem dirimere audeamus.

I. Acta D. Hermagorae (1) primum et maximum suppeditant Aquilejensibus argumentum. Legimus: » Apud ur-
» bem Romam profectus est D. Petrus Apostolus ... una
» cum B. Paulo Apostolo adducentes secum B. Marcum ...
» et morabatur cum eis in urbe Roma. Tunc dixit ad eum
» B. Petrus: quid hic moraris? Ecce tu plenissime erudi-
» tus de omnibus quae fecit Dominus noster Nazarenus.
» Surge, et perge ad urbem quae dicitur Aquileja, Austriae
» provinciae ad praedicandum verbum Domini. Tunc acci-
» piens B. Marcus primam sortem et baculum pontifica-
» tus arripuit iter, et veniens pervenit ad dictam urbem

(1) Apud continuat. Bolland. sub die XII julii. s. Hermagoras.

„ quae dicitur Aquileja. Veniens autem ante praedictam „ civitatem invenit ibi juvenem nomine Athaulphum (vel „ Atulphum) filium Ulfii illustris ac primi civitatis „ quem lepra laborantem sanavit. „ Cumque B. Marcus praedicaret „ ibidem per aliquot annos, emicuit in cor ejus desiderium „ vultum S. Petri videre etc.... „ At omnimodam fidem Acta ista mereantur nec ne incerti haeremus, et potius cum Tillemontio et Papebrochio stamus, qui ea recentiora existimant. Plura enim habent quae novum auctorem patefaciunt. Quamvis enim lubenti animo clarissimo de Rubeis assentiamus asserenti *Austriae* nomen a Longobardis toti Venetiae, et peculiariter Provinciae Forojuliensi, jam saeculo VI inditum fuisse, tamen plura alia quae contra Actorum antiquitatem et αυθεντίαν objiciuntur omnino dilui non possunt. *Ulfi* ac *Athaulphi* nomina Gothica, aut Longobardica esse nemo non videt. Porro Marci aetate, Claudio et Nerone impp., Longobardos vel Gothos Aquilejae non tantum deguisse, sed et principem inter cives locum tenuisse quis facile credat? - Nec juvat opponere Aquilejam emporium fuisse ad fines Illyricos et Germanicos, gentibus utriusque regionis apertum, nam barbari advenientes ibique mercandi gratia commorantes numquam primario praeclarissimae civitatis ordini adscribi poterant. Accedit *lepram*, morbum tunc temporis in Italia perrarum fuisse, quinimmo teste Celso pene ignotum. Plinius (1) Elephantiasim seu magnam lepram aevo M. Pompeji in Italia apparuisse quidem, sed illico cessasse narrat. Insuper *prima sors* Marci profecto non Aquilejensis, sed Alexandrinus Apostolatus fuit universa antiquitate testante. Quibus aliisque e. g. auctoris stylo, et his quae de baculo pastorali narrantur rite perpensis sententiam Tillemontii veritati consonam esse arbitramur, et acta haec recentioris aevi (fors

(1) Plin. Hist. nat. c. VI. L. XX.

saeculo X vel XI) scriptorem aliquem obscurum concinnasse credimus.

II. Catalogi et Chronica Patriarcharum Aquilejensibus alterum et paullo validius suppeditant argumentum. Usus antiquissimus Diptychorum, quem Ecclesiae Orientales adhuc retinent, Occidentalis abolevit, Aquilejae (nunc Forojulio) usque ad nostra tempora perseverat. Die secunda Februarii, Virgini Deiparae sacra, juxta acceptam a majoribus consuetudinem publice legunt *Catalogum* aliquem Antistitum Aquilejensium, qui ab hisce verbis exorditur: » Primus Patriarcha praedicator extitit Aquilejae B. Marcus » Evangelista. » Fusius idem narrat Chronicon a Muratorio (1) editum, et a de Rubeis (2) accuratius allatum: » B. Marcus » Evangelista ex praecepto Petri ad urbem Aquilejam, famosissimum caput Italiae, Pontificatus ab eodem Petro » accipiens baculum venit, et per plures annos verbum salutis ibidem praedicans et affirmans cum Apostolo quoniam hic est Christus, Evangelium propria manu scripsit, » quod hodie in Aquilejensi Ecclesia omnibus volentibus, » quia tale lumen sub modio poni non debet sed super » candelabrum, ut luceat omnibus, demonstratur. Et sic » primus praedicator in Aquileja fuit B. Marcus Evangelista, qui praedicationis suae rugitu infinitis populis ad fidem Christi conversis et jam fundata Ecclesia vultum Petri magistri sui videre desiderans, et ire Romam, populum occulto dimittere satagebat. At Dei nutu vociferante » populo et petente Pastorem ab omni turba B. Hermacoras in pastorem gregis Domini electus est. Tunc B. Hermacoras iter cum B. Marco arripiens Romam pervenit, » et a B. Petro baculum accipiens Pontificatus, et velamen » sacrum suscipiens Protoepiscopus provinciae Italiae ordinatur, et super omnes Ecclesiae Italiae primatum ob-

(1) Murat. Coll. rer. Italic. Tom. XVI.
(2) De Rubeis, Monum. Eccl. Aquilejensis. Appendix II.

» tinuit etc.... » Fere eandem hujus eventus narrationem exhibet Andreas Dandulus Venetus Dux in suo Chronico a Muratorio (1) meliori lectioni restituto. Ab hoc Danduli testimonio Ughellus (2) suam Ecclesiae Aquilejensis historiam exorditur, atque ad D. Marci Venetum Apostolatum admittendum innititur. Scribit Dandulus, Marcum Aquilejenses Christianam religionem docuisse, multisque prodigiis confirmasse, eadem fere repetens, quae Acta Hermagorae tradunt. Quibus tamen novum addidit prodigium, quod nimirum Marcum aquas lacunae, cui serius mirabilem urbem Veneti imposuerunt, trasmittentem vox e coelo delapsa monuerit, illic nomen suum maximo honore habitum iri, et illa verba prolata fuisse, quae postea a Republica, veluti solemne signum recepta fuerunt: *Pax Tibi, Marce*: » Hermacoram civem Aquilejensem, quem ad regendum populum » acquisitum aptiorem cognoverat (Marcus Romam versus » iter faciens) in navicula secum assumpsit, et directo na- » vigans in paludes, ubi nunc Rivaltina civitas constructa » dignoscitur tandem pervenit (ad insulam) cui Rivoaltus » nomen erat, et urgente vento naviculam ad tumbam » (*τύμβος sepulcrum, tumulus*, hic vero *colliculus* ex aqua » nonnihil eminens) ligavit, apparuitque ei in extasi posito » angelus Dei dicens: Pax Tibi, Marce; hic requiescet » corpus tuum. Cum se passurum illico naufragium haesi- » taret, subintulit angelus: Ne timeas, Evangelista Dei, » quia adhuc tibi grandis via restat, multaque te pro Chri- » sti nomine oportet pati. Post vero passionem tuam cir- » cumvicinarum regionum devoti et fideles populi, infide- » lium crebras persecutiones declinare volentes, hic mi- » rificam urbem fabricabunt, et corpus tuum denique ha- » bere merebuntur, quod summa veneratione colent, tuis- » que meritis et precibus plurima beneficia consecuturi

(1) Murat. Coll. Rerum. Ital. Tom. XII init.
(2) Ughellus Ital. sacr. Aquilejensis Patriarchatus.

» sunt. Tunc B. Marcus expergefactus gratias Deo egit di-
» cens: Domine fiat voluntas tua (Explicit Chron. pars II,
» sequitur III). Post B. Marcus prospero cursu Roman ac-
» cedens etc. . . . »

Verumtamen si diligentius allata testimonia ad trutinam revocemus, quamvis non omnino respuenda, attamen nec magni facienda esse arbitrabimur. Quod Catalogum Patriarcharum attinet, illum recentiori aevo confectum fuisse, plurima produnt. Primis enim Ecclesiae saeculis *Patriarchae* nomen et munus ignotum fuisse neminem latet; apud Aquilejenses VI demum saeculo incepit. Clar. de Rubeis vocem illam serius adjectam fuisse credit, at quaenam tunc interpollati monumenti auctoritas? Aquilejensium morem, praesulum nomina publice inter missarum solemnia legendi a pervetusto diptychorum usu prodire non inficiar, quamvis non omnino certum credam, at nonne poterat falsarius qui vocem *Patriarcha* addidit etiam nomen Evangelistae apponere? Nec multo majorem fidem Chronico Patriarcharum tribuendam esse censeo. Plurima etenim in eo occurrunt, quae historiae, et aevo plane repugnant, recentioremque auctoris aetatem et ignorantiam patefaciunt. Jam in paucis quae attuli verbis duo errores cuilibet legenti se se offerunt: I. *Baculus pastoralis*, quem Petrus Marco tradit, et *sacrum velamen* quod ejus capiti imponit, II. *Evangelium propria Marci manu descriptum* (*αυτόγραφον*) in Ecclesia Aquilejensis asservatum. Quoad primum, pedo sacrisque infulis multo serius praesules ecclesiae, usos fuisse neminem latet. Alterum falso creditum fuisse Montfauconius lucul entissimis argumentis ostendit. Clarissimi viri vestigiis inhaerens Dobrowskyus Bohemus, antiquitatis diligens scrutator, camdem sententiam tulit (1).

(1) Dobrowsky Fragmentum Pragense Evangelii D. Marci vulgo autographi. Pragae 1778. Idem Dobrowskyus anno 1794 etiam Venetum fragmentum scrutatus est.

Galliei et Bohemi scriptoris judicium infringere conabatur Antonius Comoretto (1), presbyter Congregationis Orat. Utinensis, at frustra. Codicem enim Evangelium D. Marci continentem, quem Aquilejenses summa religione asservabant, cujusque duo postrema Folia Carolus IV a Nicolao Patriarcha dono accepit, et Pragensi misit Ecclesiae, *latinis litteris conscriptum* fuisse liquet ex ipsa Imperatoris Epistola, quam Bolandi continuatores (2) ediderunt. Marcus vero universa antiquitate teste Evangelium *graece* exaravit. Codicem ipsum nunc ad trutinam revocare non amplius licet, nam tum duo folia, quae imperator Pragam misit, e quibus solebant Evangelium in missa die Paschatis, decantare, tum quinque reliqua, Aquileja collabente Forojulium (Cividal di Friuli), et postremum, 1420 Thoma Mocenigo Duce, Venetias translata adeo, detrita sunt ut nil nisi pauca eaque putrida, et agglutinata fragmenta supersint, quae nec legi nec ullo modo amplius investigari queunt. Cujus detrimenti nec Veneti, nec Pragenses accusandi sunt, sed potius antiquiores Aquilejenses, qui codicem procul dubio antiquissimum mirum in modum neglexerunt, quod ceteroquin nobis novum suppeditat argumentum illos librum haud ab ipso Evangelista exaratum censuisse. Insuper Hieronymi testimonio constat jam sua aetate αὐτόγραφα sacra omnia interiisse. — Sed ut ad Chronicon Patriarcharum redeamus illum recentiori aetate confectum fuisse stylus, et ea quae de *Baculo pastorali*, de *velamine* a Petro Hermagorae dato, et de eodem antistite *Protoepiscopo provinciae Italiae, et super omnes Ecclesias Italiae constituto* narrantur, satis ostendunt. Ex hisce postremo allatis verbis illud saeculo VI vel VII exaratum

(1) De Codice evangeliario D. Marci, partim Pragae, partim Venetiis adservato, epistolaris dissertatio, auctore Antonio Comoretto Congr. Orat. Utinens presby. 1780.

(2) Bolandist. die 25 Aprilis n. 8.

fuisse, dum scilicet schisma Aquilejenses a Romana sede, et ab universa Ecclesia dividebat, conjicere liceret. At Muratorius hoc monumentum multo recentius habet, et anno 1358 concinnatum, ex eo quod de Nicolai Patriarchae obitu, qui tunc temporis evenit, mentio fiat, nulla vero de Ludovico Turriano, qui eidem sufficiebatur. Affirmat quidem de Rubeis se alios antiquiores codices invenisse usque ad Maxentium, qui saeculo nono sedem tenuit, tantummodo pertinentes, quos tamen cl. vir non edidit. At complura documenta, praesertim falsae pietatis causa, illo aevo conficta fuisse neminem latet.

De Chronico Danduli pauca dicam. Pretiosissimum ceteroquin monumentum fabulis et mendis hinc inde refertum esse nemo certe inficias ibit, quod tamen non ipsi auctori, sed saeculo quo vixit vitio vertendum est... » Nam » ne ille quidem a fabulis satis cavet ubi remota a tempo» ribus suis narrat, et in Chronologia interdum coespitat et » praecedentium scriptorum fabulas quasdam et errores fa» cile adoptat. Quod homini accuratissimo minime vitio » vertendum est, sed saeculo quo vixit librorum inopia » laboranti, linguarumque et critices subsidiis ferme de» stituto. Comune id infortunium fuit » ... Et quod ad rem nostram magis pertinet: » Ea quae ad s. Marci E» vangelistae pontificatum, spectant vulgavi, ne nobilissi» mam Aquilejensem Ecclesiam monumentis suae antiqui» tatis fraudarem. Non ea quidem inconcussa, nedum cer» tissima, ut enim quaelibet principum ac nobilium familia » ad quempiam aliquem vetustum magni nominis virum » originem suam referre solet, ita et Ecclesiae ipsae eo » speciosiora sibi primordia tribuere consueverunt, quo » plus subsequutis temporibus dignitate et opibus inter » Christianos effulsere » (1). Notitiam Apostolatus Aquile-

(1) Muratorius praef. in Chron. Andr. Danduli Rer. Ital. Tom. XII, initio.

jensis D. Marci Dandulum e monumentis Gradensibus decerpsisse de Rubeis asserit, at non probat. Profecto nullibi Dux de illis loquitur, et nos illum plurima narrasse credimus ex iis quae fama circumferebat, quin tamen veritas subesset.

III. Superest validius, quo Aquilejenses ad suam causam tuendam utuntur argumentum. Traditio nempe antiquitate venerabilis, et multorum consensu firmata quam saeculo VIII jam extitisse plurima documenta nos docent. Paulus Longobardus, Warnefridi filius, ipsius Ecclesiae Aquilejensis Diaconus, quem vulgo Paulum Diaconum appellant, quique vixit saeculo Christi octavo sub Desiderio Longobardorum regum ultimo et Carolo Magno, in opere quod *de Metensibus Episcopis* (1) inscripsit haec habet: » Cum Romam pervenisset Petrus illico qui summas quas» que urbes in Occiduo positas Christo Domino per ver» bum fidei subjugarent optimos eruditosque viros e suo » consortio direxit . . . Marcum vero qui praecipuus inter » ejus discipulos habebatur Aquilejam destinavit quibus » (Aquilejensibus) cum Hermagoram suum comitem Marcus » praefecisset, ad B. Petrum reversus Alexandriam missus » est. » Similia scripsit Ado Viennensis in Gallia antistes (saec. IX exeunte) in suo ab origine mundi usque ad 877 deducto Chronico (2) : - » Marcus Evangelista Evangelium » quod Romae scripserat Petro jubente primum Aquilejae » praedicavit, ibique ordinato Hermagora discipulo suo ad » Ægyptum pervenit. » Extat insuper hymnus *de S. Marco Evangelista* inscriptus, quem Paulino Patriarchae Madrisius (2) tribuit.

(1) Lugd. Bibl. Tom. XIII. Scripsit historiam gentis suae : *De Fastis Longobardorum lib. VI*, aliaque multa sed barbare omnia. Festi libros XX in compendium redegit, seu potius laniavit corrupitque.
(2) Bibl. Patr. Lugd. Tom. XVI.
(3) In edit. operum Paulini Patr.

Sic a Beato Petro missus adiit
Aquilejensem dudum famosissimam
Urbem: sacrati verbi pullulantia
Disseminavit, satoque centuplices
Fructus ad alta vexit horrea.

Denique ad suam tuendam sententiam Apostolatus Aquilejensis D. Marci defensores diplomata nonnulla Regum Francorum in medium proferunt. Primum a Carolo Magno anno 792 (1) Paulino patriarchae missum, in quo de templo in honorem D. Marci Aquilejae extructo sermo fit, alterum ab eodem, tertio postquam coronam Caesarum adeptus fuerat anno, (803 a Christo nato) ad Fortunatum patriarcham Gradensem datum, in quo Antistitem *Sedis Sancti Marci Evangelistae et S. Hermagorae Episcopum* salutat. Ludovicus Pius, et Lotharius in Diplomate (2) ad Maxentium Patriarcham Aquilejensem misso haec scribunt: „ praedictae (Aquilejensi) matri Ecclesiae S. Marci Evan- „ gelistae et S. Ermagorae martyris atque Pontificis, ubi „ auctore Deo ipse Patriarcha praeest. „ De duobus a Bollandi continuatoribus (3) allatis codicibus manu scriptis silemus, utpote qui e politiori stylo, aliisque characteribus recentem auctoris aetatem satis declarant, qui jam instauratis in Italia litteris floruerit. Ipse de Rubeis eos parvi pendet. Sic etiam Notkeri (4), Usuardi, (5) Veterisque Romani martyrologii (6) testimonia praeter mittimus, quippe

(1) Anno XIX regni.

(2) III Idus Novembris anno Christo propitio XVII Domini imperatoris Hludovici serenissimi et Hlotarii Augusti IV Niumaga in Palatio regio.

(3) Acta SS. mens. April. die 25. S. Marcus.

(4) Notkerus Monachus S. Galli apud Henricum Canisium Tom. II part. II. edit. Basnagii.

(5) Usuardus S. Germani Monachus Parisiensis, apud Bollandi. Contin. Tom. VII Mens. junii die XII.

(6) Editum ab Heriberto Rosweido Lugd. Bibl. Patrum Tom. XVI.

quae non de adventu Marci inter Venetos, sed de Hermagorae ejusdem discipuli fidei praedicatione loquuntur. Et haec fere omnia sunt, quae ad suam causam propugnandam Aquilejenses asseruerunt.

Quae omnia si rite perpendantur non ita firma inveniemus, ut omne dubium penitus excludant. Pauli Diaconi et Adonis testimonia profecto non parvi facimus. At scriptores noni saeculi sunt, ab eventibus ingenti octo saeculorum intervallo distant, undenam hanc notitiam deprompserint non indicant. Insuper uterque aetatis suae vitiis laborat, uterque et praesertim Ado historiae fabellas commiscet, quod non ipsis, sed temporum indoli tribuendum. Adde quod Paulus de gloria ecclesiae suae fors nimis sollicitus fuit. Scimus Adonem suum martyrologium a Monacho Ravennati habuisse, quod olim Pontifex quidam Aquilejensi Antistiti miserat (1); fors Aquilejae pia fraus evenire potuit. Quod versiculos attinet hymni *de B. Marco Evangelista* inscripti an Paulinum Patriarcham auctorem habeant nec ne facile sententiam ferre non licet. Madrisio plura opponi possunt, uti stylus purior quam aetas (saec. VII exeunte) admisisset antiquiorum silentium etc. E decretis imperatorum denique nihil aliud elucet quam Aquilejenses templum in honorem D. Marci erexisse, eumque veneratos esse. -- Quod si Carolus Magnus sedem Aquilejensem, vel Gradensem D. Marci sedem appellavit, hoc vel idcirco evenit quia templum Patriarchale Evangelistae dicatum erat, vel quia Hermagoras, Marci discipulus, Aquilejenses fide imbuerat, et hinc quodammodo illi Marci doctrinam et institutionem indirecte acceperant.

Paullo firmius fulcimen nanciscitur haec de Divo Marco inter venetos adventu opinio a verbis Hesichii, qui e veteribus documentis notitias suas decerpsisse asserit. Ipse

(1) Acta SS. Benedictin. Tom. 6. cod. 6. praef. c. 6. n. 174. Vedi Fleury Hist. Eccl. livr. L. n. 7.

eventui longe proximior, (saec. enim IV florebat) disertis verbis affirmat Marcum Evangelistam a Petro Apostolorum Principe Aquilejam Carniae ad fidem praedicandam missum fuisse.

Nonnulla alia congessit testimonia cl. vir Albertus Muchar (1), quae tamen, cum minoris momenti sint, praetermittimus.

Sed jam ad adversariorum argumenta deveniamus. Haec profecto gravissima sunt frustraque illa evertere Aquilejenses conabantur. Praecipuum est, veteres omnes ante saec. VIII Ecclesiae scriptores (si unum Hesichium demas) de Marci Aquilejensi Apostolatu penitus siluisse. Eusebius silet, silet Hieronymus, qui *de Scriptoribus Ecclesiasticis* librum exaravit, Marcique vitam et Apostolatum descripsit, quamvis Aquilejae diu commoratus fuerit, et Ecclesiam illam summis laudibus exornaverit. Rufinus, historiae ecclesiasticae in Occidente pater et auctor, Aquilejae natus (2), ibidem baptismate donatus, illius ecclesiae presbyter et monachus de hoc eventu nec verbum quidem tradit, quamvis honoris patriae suae studiosissimus. Notkerus in suo Martyrologio itinera, et labores Marci in Italia, Ægypto, Lybia, etc. singillatim et fusius recenset de illius tamen inter Venetos adventu nec tum loquitur, cum Hermagoram ab illo Aquilejam missum fuisse narrat. Profecto hoc silentium nullatenus explicari posset, si res ita se haberet uti Aquilejenses opinantur. Frustra vim hujus silentii, *negativi* uti ajunt at maximi ponderis argumenti, cl. de Rubeis infringere conatur. - Nec levem ingerit temporum

(2) Das römische Norikum von dr. Albert Muchar, Grätz 1826 2 Bände, 2 Theil s. 50, 51.

(3) Turanium Rufinum Aquilejae natum, et historiae Ecclesiasticae in Occidente auctorem et patrem jure ac merito nuncupandum esse pluribus et validissimis argumentis ostendit clariss. Prof. Hon. Marzuttini de Mon. Aquil. optimo mer. in sua praestantissima dissertatione: De Turanii Rufini fide et Religione Pat. 1835.

et eventuum ordo difficultatem uti Tillemontius, et Pappebrochius monuerunt. Solent enim Aquilejenses Marci praedicationem inter 44 et 50 a Christo nato annum collocare. Sed cum Petrus ante Concilium Hierosolymitanum, anno circiter 50 habitum, Italiam non inviserit, Evangelistam fidum Apostoli comitem, tunc demum Romam petiisse credendum est.

At si Marcus reapse Aquilejam non venit, quomodo haec opinio inter Venetos oriri et propagari potuit? Ajunt nonnulli, hanc historiam tunc temporis confictam et evulgatam fuisse, quum schisma, ob trium capitulorum notissimam litem, Aquilejenses ab universa Ecclesia divideret. Cum enim saeculo VI Metropolita Paulinus, aliique suae provinciae episcopi Concilio V OEcumenico tria capitula damnanti subscribere recusarent se a sede Romana, et a Catholicis omnibus rejectos viderunt. Tunc ut defectionem aliquatenus honestarent, et sibi majorem tribuerent auctoritatem Ecclesiam Aquilejensem a Marco institutam dictitarunt, non secus ac Graeci Byzantinam ab Apostolo Andrea fundatam nequicquam jactabant. Quibus tamen haec Aquilejenses reponunt. Verum est quidem tempore schismatis apostolicam sedis originem summopere celebratam fuisse, attamen si falsa Veneti antistites asseruissent anne Romanos Pontifices qui illis fortiter obstiterunt mendacium latere poterat? Profecto Johannes III, Benedictus I, Pelagius I Aquilejenses graviter redarguebant, quinimmo iste Eliam Patriarcham exprobrat, quod in S.S. Patrum testimoniis afferendis ea permisceat et corrumpat, at nemo illorum, nullusque Pontificum qui postea Christi gregem gubernarunt Venetos de hac fraude accusavit. Contra Johannes XIX, qui saec. XI, cathedram Petri conscendit missis ad Patriarcham Poponem litteris, (si confictae non sunt, quod ignoro) Marcum Aquilejensis Ecclesiae auctorem fuisse scribit.

Non est igitur cur hujus opinionis exordia, et causam inquiramus, quae fors ex eo originem duxit, quod Hermago-

ras, qui reapse primus Aquilejensium Apostolus et Antistes habendus est, Marci discipulus fuerit.

Num quod Hermagoram attinet eum Aquilejenses Christiana doctrina imbuisse, certissimum est, et luculentissimis historiae documentis innixum. Etenim ut de Actis quae sub ejus nomine circumferuntur, et exiguam vel nullam merentur fidem taceam, et jam allata testimonia praetermittam, de Hermagora Aquilejensium antistite loquuntur Venerabilis Beda, Ado, Usuardus Notkerus (1): vetus seu breve Romanum Martyrologium, Paulus Diaconus, Diplomata Caroli Magni, Martyrologia Ecclesiae Antisioderensis, et Lirinensis, et plurimi Codd. Mss. a Bollandi continuatoribus sub die XII Julii martyri sacra allati.

Nomen hujusce apostolici viri veteres varie scripserunt. Plurimi habent *Hermagoras*, *ἑρμαγορας*, alii *Ermacoras*, Notkerus *Hermechoras*, Martyrologium Hieronymo tributum a Fr. Maria Florentinio editum *Armigerus*, Martyr. Corbejense *Armagerus*, Attrobattense *Ermagonas*. Civis Aquilejensis fuerit nec ne jure dubitamus; profecto nomen Graecum est. An Marcus eum in Oriente sibi discipulum adsciverit, an Romae, haud liquido constat. Id quod ex veteribus monumentis satis probatum videtur, est Hermagoram a Marco Aquilejam missum, ibidem munus suum feliciter et egregie obivisse. Plurimi enim cives novam doctrinam amplectentes Christo nomen dederunt quinimmo etiam fidem sanguine firmarunt. Nam praeter Fortunatum diaconum, quem sibi Hermagoras comitem et adjutorem adjunxerat, duosque alios ejusdem nominis Christianos, quatuor virgines Traditio Ecclesiastica commemorat Euphemiam, Dorotheam, Theclam, et Erasmam, quae juxta nonnullos Nerone, juxta alios Diocletiano imperante crudeliter ob fidem necatae sunt. Sedulus antistes nihil praetermittebat eorum quae ad fidei incrementum conferre poterant. Hinc plures seniores (presbyte-

(1) In Martyrologiis sub die XII julii.

ros), et Levitas (diaconos) creavit, et Ecclesiae administrandae praefecit. Sed et ad alias urbes etiam remotiores misit Evangelii praecones. Sic Presbyterum et Levitam Tergeste ire jussit, Syrum et Juventium vel Iventium Ticinum, uti ex eorundem actis et martyrologiis depromimus. Ughellus asserit Tridentinam quoque Ecclesiam ab Aquilejensibus fundatam fuisse, quin tamen gravia historica documenta adducat. Japydes, Carnios, Styrios, Pannonios fidem ab iisdem accepisse probabile est, at hic etiam testes fide digni desiderantur. Sic incerti haeremus, quo anno Hermagoras fidei praedicationem inter Aquilejenses susceperit, an imperante Claudio, an Nerone fata imperii moderante. Traditio nos docet eum 20 annis sedem tenuisse, sic referunt duo Chronica Aquilejense, et Andreae Danduli; quorum tamen documentorum vitia alibi recensuimus. Mortem et ipse obivit pro Christi nomine, cjusque exuviae honorifico sepulcro conditae Aquilejensibus semper carae fuerunt. Veneti antiquam erga praestantissimum virum religionem servantes eidem templum dedicarunt, illum inter praecipuos urbis patronos recensentes.

Opus ab Hermagora inceptum, alii perfecerunt, quorum tamen nomina invida tempora ad nos usque pervenire non siverunt. Quinimmo a morte Hermagorae usque ad Theodorum Episcopum, qui Concilio Arelatensi (314) subscripsit, omnia incerta et nutantia sunt, ingentesque lacunae reperiuntur, quas inani conatu recentiores explere laborarunt.

Nos hic sistimus, illustris Ecclesiae fastos fors alias exposituri, ubi Deus O. M. nobis vitam et otia largiatur.

THESES

EX UNIVERSA THEOLOGIA DEPROMPTAE.

EX HISTORIA ECCLESIASTICA

I.

Petrus Romam venit, Romanae Ecclesiae fundamenta jecit, eamdemque sanctissime rexit; ibidem, Nerone imperante, martyrium subiit.

II.

Philosophia Platonica nostrae fidei dogmata nec mutavit neque auxit.

III.

Rigidior, quam primis saeculis Ecclesia adhibuit disciplina eidem perutilis fuit.

IV.

Cruce signatorum arma plurima et maxima bona utrique reipublicae attulerunt, et Romani Pontifices illa cientes de salute Europae optime meriti censendi sunt.

V.

Veneti Patriarchae priscorum Aquilejensium veri successores sunt.

IV.

Falsum est quod nonnulli historici asseruerunt, Venetam Rempublicam aliquando de pseudo-reformatione Germanica amplectenda cogitasse.

VII.

Pius VII Lutetiam Parisiorum petens, Francorum Imperatori coronam impositurus, Ecclesiae saluti consuluit.

E JURE ECCLESIASTICO

I.

Inter civilem et Ecclesiasticam potestatem nulla datur veri nominis collisio.

II.

De Romani Pontificis primatu sacrae litterae, et omnium saeculorum traditio luculentissime testantur.

III.

Patriarchae, caeteris ecclesiasticis praesulibus superiores in antiqua hierarchia supremum (post Romanum Pontificem) locum tenebant; nunc Cardinalibus tantummodo postponuntur,

IV.

Coelibatus presbyterorum legem sapientissimo consilio Ecclesia tulit.

V.

Per adulterium alterius conjugis, conjux laesus jus acquirit separationem a thoro et mensa petendi; attamen matrimonii vinculum nullatenus solvitur.

VI.

Benefitio, cui animarum cura adnexa est gaudentes jure divino in loco benefitii commorari tenentur.

VII.

Clerici ultimae voluntatis tabulas condentes bona ex benefitio acquisita ad pias causas disponant oportet.

EX HERMENEUTICA BIBLICA

I.

Sacrorum Librorum interpres non solum linguam et usum loquendi biblicum generatim, sed etiam peculiarem cujusvis auctoris stylum probe noscat, oportet.

II.

Sensum typicum a V. F. Libris excludere revelatio vetat.

III.

Quamvis sensus alicujus sententiae nonnisi unus esse possit, unaque loquentis mens, attamen eodem tempore plures fines auctor intendere potuit.

IV.

Patres et Ecclesiae traditionem prae oculis habeat qui s. Litteras interpretandas assumit.

V.

Veteres Patres rectas interpretandi leges ignorasse, recentiorum temporum calumnia est, cui luculentissima testimonia adversantur.

VI.

Societates Biblicas jure ac merito Ecclesia damnavit.

VII.

Tridentina Synodus Vulgatam Versionem authenticam declarans illam nec textui originali anteposuit, nec omnimode absolutissimam esse sanxit.

EX ARCHEOLOGIA BIBLICA.

I.

Creationis narratio Gen. c. I. nec Astronomiae, nec Geologiae, nec Physicae adversatur.

II.

Historia nos docet, antiquissimam in orbe religionem monotheismum fuisse.

III.

Sacrificia humano generi coaeva.

IV.

Inimicis parcere eosque diligere, etiam antiquum Foedus jubet.

V.

Animam immortalem esse Hebraei semper crediderunt.

VI.

שְׁאוֹל probe a sepulchro distinguendum.

VII.

E squalida hodiernae Palaestinae facie, antiquam regionis conditionem dijudicare non licet.

EX INTRODUCTIONE IN LIBR. SACR. V. F.

I.

Pentateuchum a Mose exaratum fuisse, interna et externa documenta evincunt, atque objectiones ab incredulis congestae nullius ponderis sunt.

II.

Moses fide dignissimus est etiam ea referens, quae longe ante ipsum evenerunt.

III.

Conjecturis criticis parce et caute utendum, ni historiam subvertere et veritati injuriam facere velimus.

IV.

Librum Jobi Mosem concinnasse credimus.

V.

Hieronymus s. Libros Vet. Foed. vertens textum originalem prae oculis habuit, saepe numero tamen LXX interpretum vestigiis inhaeret.

VI.

Joel propheta c. II. sub imagine locustarum Palaestinam vastantium, hostium irruptionem praenuntiat.

VII.

Prophetiam Iesaiae a c. XL usque ad LXVI genuinam esse perperam negatur.

EX INTRODUCTIONE IN S. LIBR. N. F.

I.

Deutero-canonici N. F. Libri eamdem cum proto-canonicis sibi vindicant auctoritatem.

II.

Codex Evangelium Marci continens, primum Aquilejae dein Forojulio, postremum partim Venetiis, partim Pragae asservatus, non est αὐτόγραφος attamen antiquissimus.

III.

Evangelistae non id sibi proposuerunt ut omnia gesta et dicta Jesu Christi narrarent.

IV.

Falsum est quod asseruerunt Paulum, Matthaeum, Marcum, Lucam de Christi divinitate numquam loqui et Jannem demum hoc dogma invenisse.

V.

Modus quo recentiores Deistae Germanici, praesertim Doctor Paulus Heidelbergensis miracula Christi explananda, vel potius evertenda susceperunt ridiculus est, historiae, hermeneuticae legibus, et rationi contrarius.

VI.

Lectiones variantes S. Scripturae non tantum e SS. Patrum scriptis, sed etiam e Conciliorum actis erui possunt.

VII.

Epistolae ad Romanos cap. IX. v. 5. juxta hermeneuticas et criticas regulas de Christi divinitate exponi debet.

E THEOLOGIA DOGMATICA.

I.

Ratio revelationis auxilio destituta nullam peccati expiandi viam inveniet.

II.

Revelatio est omnibus ad supremam felicitatem assequendam necessaria.

III.

Supremus in Religione revelata controversiarum judex ratio esse non potest, sed magisterium ab ipso Dei Legato institutum.

IV.

Sacramenta omnia Christum auctorem habent

V.

Confessio privata, et uti ajunt *auricularis*, est de jure divino necessaria.

VI.

Indulgentiae recta notio nihil habet, quod purae et sanctae Christi Religionis indoli adversetur.

VII.

Gehennam aeternum duraturam esse.

92

EX ETHICA CHRISTIANA.

I.

Ratio a revelatione illustrata Ethices Christianae fons.

II.

De libertate humana dubitantes sibimetipsis mentiuntur.

III.

Per sanctionem praemii et poenae virtutis dignitas non offenditur.

IV.

Externe religionem profiteri, et Deum colere gravissimum est hominis officium.

V.

Suimetipsius necem, velut immane facinus s. Literae, Traditio, et ratio damnant.

VI.

Inimicos diligere religio praecipit.

VII.

Cultus Sanctorum, Imaginum, et Reliquiarum est efficax virtutis subsidium.

E THEOLOGIA PASTORALI

I.

Doctrinae prudentiam parochus conjungat necesse est.

II.

Suum negligit offitium ille animarum pastor, qui numquam, aut fere numquam de fidei dogmatibus, et divinis mysteriis loquitur.

III.

Parochus ipse concionetur, nisi gravis adsit et justa causa; alium arcessens, qui suas vices gerat muneri non satisfacit.

IV.

Ob graves justissimasque causas Ecclesia Latina in sacris peragendis vulgari sermone non utitur.

V.

Sacrum ministrum ac praesertim parochum cum laicis nimium libere versari dedecet; caveat omnino ne sublimi, quo fungitur ministerio injuria fiat.

VI.

Omni studio sanctae religionis negligentiam vel impediat parochus, vel tollat.

VII.

Pericula quaequae, et mortem ipsam oppetere Parochus tenetur ubi id sui gregis salus exposcat.